



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Originvm Monasticarvm Libri IV.

Le Mire, Aubert

Coloniae Agrippinae, 1620

Cap. XXXV. Ordo Cartusianorum, à S. Brunone excitatus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11249

Est autem Crypta Ferrata, vulgò *Grossa Ferrata*, apud Tusculum urbem sita, caput monasteriorum ord. S. Basilij per Italiam.

Sūt & in Hispania aliquot cœnobia monachorum ord. S. Basilij, Latina lingua in sacris vtentium.

CAPUT XXXV.

*Ordo Cartusianorum, à S.
Brunone excita-
tus.*

BRUNO Coloniae Agrippinae claris parentibus ortus, dum Lutetiae Parisiorum litteris operam nauaret, horrendo prodigio ad religionem conuersus est. Cùm enim Doctoris cuiusdam litteratura & moribus eximij defuncti exequiæ in Ecclesia celebrarentur, illaque verba, *Responde mihi, quantas habeo iniquitates*, decantarentur, mortuus, omnibus qui aderant audientibus & stupentibus, capite eleuato, alta & horrenda voce dixit, *Iusto Dei iudicio accusatus sum*, caputque reposuit. Dilata in crastinum sepultura, totaque penè ciuitate confluente, vbi ad eadem verba ventum est, is rursus capite erecto ait, *Iusto Dei iudicio iudicatus sum*. Omnibus spectaculum admirantibus, placuit diem tertium expectare; quo adueniente, repetitis exequiarum preci-

N 5 bus

bus , ad eadem verba defunctus attollens caput , dixit , *Iusto Dei iudicio condemnatus sum.* Quæ res inter cæteros *Brunonem* , qui præsens tanto spectaculo interfuerat , ita perterruit , vt accersitis Sodalibus *Landuino* , *Stephanis* duobus , *Hugone* , qui solus erat sacerdos , *Andrea* & *Guarino* laicis , longa oratione persuaserit , inter alia illud *Gregorij* Papæ adducens , *Qui pœnitenti veniam spondit , peccanti diem crastinum non promittit* , vt mox sæculo dicentes vale , locum peterent pœnitentiæ . Quare ad *Hugonem* *Gratianopolitanum* Antistitem venientes , locum cum benedictione intra altissimos montes , *Cartusiam* nomine obtinent : ibique vitam sub *Brunonis* disciplina angelicam duxerunt . Euocatur interea *Bruno* à *Gregorio II.* Pontifice , qui eius discipulus fuerat , socijs eius recessum ægrè ferentibus & flentibus , quibus postea *Landuinus* præfectus fuit . *Bruno* autem Episcopatu *Rotomagensi* recusato curiæ pertæsus , cum socijs in *Calabriam* proficiscitur , & in *Turrensi* solitudine *Scyllacienfis* diœcesis , aliquandiu vitam egit : donec *Rogerus* Comes *Calabriæ* , fama sanctitatis tractus , ad eum visendum veniens , basilicam *S. Mariæ* & *S. Stephani* , cum adiacentibus prædijs ei largitus est ; quam *S. Bruno* impensis à *Comite* suppeditatis magnificè extruxit . His & alijs rebus gestis , multisque clarus miraculis , sanctus vir vitæ terminum adesse præsentens ,

Anno
1084.

tiens, conuocatis fratribus, & totius vitæ suæ cursu enarrato, eos ad obseruantiam regulæ hortatus prid. Nonas Octobris anno salutis 1101. efflauit animam, in æde S. Stephani sepultus. Ad cuius tumulum fons viuus scaturijt, ad eò morbidis salutaris, vt cæci visum, surdi auditum, muti loquelam, leprosi munditiam, & varijs alijs morbis oppressi sanitatem inde receperint.

In Diuos relatus est à Leone X. Papa.

De Carthusianorum ordine, monasterijs, ac viris doctrina illustribus scripsere Petrus Dorlandus, Petrus Sutor, Arnoldus Bostius, Theodorus Petreius, Aub. Miræus, & alij.

CAPVT XXXVI.

De Sanctis ac Beatis ord. Cartusianorum.

S. Hugo, Episcopus Gratianopolitanus, & in ordine Cartusiano fundando cooperato an. 1132. die 1. Aprilis obiit, ab Innocentio II. in Diuos relatus. Exstat vita eius apud Surium, per Guidonem Castrensem, V. Generalem Præfectus ord. Cartusiani.

S. Anthelmus, primùm Cartusianus, postea Bellicensis Episcopus, an. 1162. viuere desijt, Rom. Martyrologio ad diem 26. Iunij adscriptus: exstatque vita apud Surium.

S. Hu-